

# **Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

## **Nummotheca Principum Austriae**

ex gazis Aulae Caesareae potissimum instructa, & aliunde aucta, quae a prima aetate, qua in Austria cusa fuit moneta Sub Babenbergicae Stirpis Marchionibus, Ad Usque Habsburgicae Gentis Principes, Lineae Hispano-Austriacae, Huiusque Masculum Ultimum Carolum II. Regem Hispan.

Complectitur tabulas aeri incisas num. XLI

**Herrgott, Marquart**

**Friburgi Brisgoviae, 1753**

[Text]

[urn:nbn:de:bsz:31-241482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-241482)



Tab. I.  
a persuasum tenebant (a). Sed præplacent, quæ doctissimus Vir postea de FERDINANDI virtutibus: pietate, iustitia, clementia, subiungit, quæ adductis nonnullis exemplis demonstrata, abunde docent, *cor huius Regis in manu Dei fuisse*. Certe has ipsas aliasque egregias FERDINANDI virtutes communi ore laudant omnes, qui eius gesta posterorum memoriæ perscripserunt.

b De aquila, quando cœperit esse tessera *Romani Imperii*, disquirunt Iuris publici Doctores, in primis eleganter ea de re scripsit HEUMANNUS (b). Sed pro FERDINANDO, si accuratius loqui velimus, hoc tempore aquila nondum erat symbolum *Imperii*, qui Rex scilicet tantum erat Romanorum.

Ceterum similem inscriptionem recensuimus inter nummos MAXIMILIANI I. alterius tamen argumenti. Neque enim infrequens est, ut eadem symbola, aliis atque aliis personis vel ex toto vel ex parte, sub diverso tamen plerumque respectu, applicentur. KOEHLERUS. P. II. pag. 1.

XV.

FERDI. nandus D. ei G. ratia ROMA. norum HVN. garia BOEM. ie OE. (cetera) REX. INFANS. HISPANI. arum. Protome Regis armata, capite coronato, dextrorsum verso. In area hinc inde numerus anni 1532. Sub naso fissura quædam cernitur, cuius generis nummi inter rariores aliquando referri solent.

TOM. II. P. II.

(a) M.B.L. P. II. p. 3.

(b) De insigni Germ. eiusque Regis titulo.

Sed hæc talia casu duntaxat eveniunt, vel a ruptura typi nummarii, vel etiam a negligentia sculptorum. Hunc certe sine eo vitio prodiisse, docet exemplum aliud, in museo nostro aservatum, quod nulla alia re, quam dicta fissura differt.

Aversa titulos Regis sic prosequitur: ARCHIDVX. AVST. ria ET. CARINT. bia D. ux STIRI. a CARNI. ola. Tria scuta, quorum unum super alio positum. Supremum locum occupat scutum corona clausa tectum, quod refert aquilam *Imperii* simplicem, qualis Regi Romanorum debetur, cum parma Austriaca, in pectore posita. Ad latus oblique locata sunt scuta *Hungarie & Bohemie*. Medio loco apparet parma *Carinthiaca*, pileo Archiducum operta, habens ad latera insignia *Austria & Styria*. Ultimum locum tenet parma *Carniola*. Ad latera denique primi & ultimi scuti adposita sunt ignitabula, ex torque aurei velletis desumpta.

Habet perigraphæ hoc singulare, quod FERDINANDUM *Archiducem* quoque *Carinthia* appellet, prout & scutum *Carinthiacum* in medio locatum, tectum est pileo *Archiducali*. Inde vero probabile est, nummum in *Carinthia* cufum fuisse. In uncialibus, eiusdem provinciæ recurrit idem titulus, quo de postea dicemus. M. S. B. ar. *sesquiunc.*

XVI.

FERDINAND. us ET. ANNA. Tab. II.  
RO. manorum VNG. aria BO. hemie  
REX. ET. RE. gina. Capita Regis

B 2  
peculiari diff.

FERDI-  
NANDUS  
I. IMP.



FERDINANDUS I. IMP. gis & Reginae iugata ut num. XII.

Qui in averfa sequuntur tituli, in fingulari numero concepti, foli FERDINANDO tribui dignoscuntur: † INF. ANS HISPA. NIARUM ARCHIDVX. AVST. RIE DVX. BVRGVND. IE SLESI. & MARCH: IO M: ORAVIA. Aquila simplex Imperii, expansis alis: pectori imposita parma quadripartita, referens insignia Hungariae, Bohemiae, Austriae, Burgundiae, Castiliae & Legionis.

Nummus sine die & consule; unde aetatem eius difficulter definias: nisi forte ex tenuis Hungaricis, primo loco positis, conicere lubeat, cum occasione coronationis Hungaricae emerfisse; cum praeterea aetas utriusque Principis, quantum quidem ex vultuum lineamentis conicere licet, cum anno 1527. quo ea peracta fuit, haud disconveniat. *M. Imp. ar. pond. semunc. & M. S. B. a.*

## XVII.

FERDINANDVS. DEI. GRA. CIA. ROMAN ORUM VNGARIE. ET. BOEMIE. REX. ANNO. SAL. UTIS M. D. XXXVIII. AETATIS. SVÆ. XXXVII. Icon FERDINANDI ad medium corpus, cum ordinis aurei velleris insigni, & lato pileo in capite, fissuris & nodulis ornato: dextra elata, sinistra vel chartam vel mappam, veterum consulum ad instar, & quemadmodum apparere solent in diptychis, tenentis, vel certe Regis chirothecae sunt revolutae, quales fere in nummo, paullo inferius num. XXVI. adducendo, conspiciuntur. Supra togam

(a) Vid. DU MONT. corp. diplomat. Tom.

porro amiculum gestat, patagio lato instructum, cuius incisurae per fibulas denuo coniunguntur. Tab. II.

In averfa simplex aquila Imperii, cuius pectori impositum scutum maius quadripartitum, cum insignibus Bohemicis, & Hungaricis, alternatim positis. His minus superiacet, referens Austriae & Castiliae tesseras. Pendet e scuto pars torquis aurei velleris, atque ad aquilae pedes repetitur Regis nomen: FERDINANDVS REX. Additae siglae HR. haud dubie nomen scalptoris indicant.

Ex adiecto anno tam aetate vulgaris, quam vitae Principis, aetas numismatis denuo figi potest. Nam collatis utrisque his epochis, numisma post diem decimum Martii, anni 1539. secundum dicta ad num. VII. necessario cudi debuit; cum eo die elapso FERDINANDUS annum aetatis XXXVII. inchoaret. Atqui eo temporis spatio, quod a decimo Martii anni 1539. ad finem anni effluxit, nihil admodum memorabile gestum est, nisi quod mense Februario conventus *Francofurti* (a) institutus sit, XVI. Aprilis die absolvendus.

Illius ergo occasione nummus cusus videtur; sive quod FERDINANDUS ipse comparere in animo primum habuerit; sive illud Legatis detulerit, bene merentibus, atque in partes Imperatoris Regisque euntibus, ibidem distribuendum.

Quidquid sit, numisma tantae magnitudinis, tamque scita elata-

IV. P. II. pag. 187.



Tab. II. elaboratum manu, dignum certe fuit, quo Rex Romanorum pro honorario uteretur. *M. S. B. ar. pond. 1. unc. 5 1/4.*

XVIII.

†: FERDINANDVS: D:ei G:ra-tia ROM: anorum HVNG: arie BOEM: ie DALMA: tie CROA: tie REX. Conveniret hic typus cum adversis mox subsequenti-um nummorum: sed omnia hic iustiori & elegantiori modo, adde & integriore expressa sunt. Insidet Rex cataphractus equo, magnifice ornato, phaleratoque: supra galeam laxatam atque duabus pennis *Struthionis*, ad caudæ oblongæ speciem, extantibus, ornatam, coronam quoque radiatam gerit, atque præter aurei velleris torquem, ab humeris suspensum, dextra scipionem, Imperatoris, exercitum ducentis, insigne, tenet, sinistra equum dirigens. Stragulo equi tria scuta intexta sunt. Primum *Austria* est, *Hungaria* medium, tertium a duobus leonibus sustentatum, ex tessellis *Castilia*, *Legionis*, *Arragonia*, & *Sicilia* compositum. In exergo numerus anni 1.5.4.1. legitur.

Aversa perigraphen prioris partis, sic prosequitur: †: INFANS: HISPA: niarum ARCHIDVX: AVSTRIE: DVX: BVRGVNDIE: Aquila simplex *Imperii*, splendido nimbo cincta, in pectore habens impressum maius scutum quadripartitum, repetitas *Hungaria* & *Bohemia* tesseras referens, cui imposita parma *Austria*.

IOANNE de ZAPOLIA anno 1540. vivis erepto, FERDI-

NANDUS legationem *Budam* misit, qua regnum Pannoniæ a relicta Regis vidua repeteret. Convenerat enim anno 1538. inter utrosque, ut si IOANNES vita excederet, totius regni Imperium ad FERDINANDUM devolveretur (a). Sed responso, minus arridente, accepto, militem, qui ius suum vi & armis persequeretur, conscribit, qui & dicto anno 1540. Duce *Leonardo Velsio*, *Vicegradum*, *Pæstum*, *Vacciam*, ac demum *Albam regalem*, munitissimum *Hungariæ propugnaculum*, expugnat.

Interea Turcis a Regina in auxilium evocatis, atque *Vacciam* primo vere anno 1541. recuperantibus, FERDINANDUS in comitiis, quæ tum agebantur, *Ratisbonensibus*, CAROLO fratri facile persuadet, ut *ROCHANDULPHUM* seu *ROCHENDORFIUM* regiæ aulæ magistrum, illuc cum novis copiis mitteret: qui etsi rem contra infideles non minus inconsulte, quam infelicitè gereret; dubium tamen vix est, quin FERDINANDUS novam hanc expeditionem præsentis numismate; ubi siquidem Imperatorio habitu comparet, titulisque regnorum *Hungaria*, *Dalmatia*, *Croatia*, per extensum utitur, annuntiare voluerit; maxime cum in laudatis comitiis etiam de auxiliis, adversus Turcas ab Imperio mittendis, actum fuerit (b). Qua in re FERDINANDUS patris *MAXIMILIANI* exemplum secutus est: qui in bellum profecturus, nonnunquam simili fere habitu in nummis comparere

FERDI-  
NANDUS  
I. IMP.

a

b

B 3 VO-  
360. scqq.

(a) Iov. lib. xxxix. & ISTUHANF. lib. xiv.  
(b) SURIUS commentar. ad an. 1541. pag.



FERDINANDUS I. IMP. 2  
voluit (a). *M. S. B. au. pond. 18. duc. & ar. pond. sesquiunc.*

libus adiunctus fuit. LOCH. an. Tab. II. 1743. p. 81.

## XIX.

Adversa cum præcedenti convenit, nisi quod supra galeam coronam radiatam haud observemus.

Aversa perigraphen præcedentis, quanquam non sine discrimine, hunc in modum repetit: FERD. inandus D. ei G. ratia EL. ectus ROM. anorum IM. perator s. emper AV. gustus GER. mania HV. ngaria BOhemie REX. INF. ans HIS. paniarum ARCHID. ux AVS. tria ZC. (et cetera) CO. mes TYR. olis. Aquila Imperii biceps coronata, impressum pectore gerit scutum, in quatuor areolas distributum, ex repetitis *Hungariae & Bohemiae* insignibus, quibus *Austriae* parma superimposita est.

Postica isthæc circa annum 1558. quo FERDINANDUS ad Romanum Imperium evectus fuit, cusa, & adversæ præcedentis nummi vetustioris de anno 1541. iuncta est. Patet id tum ex repetito FERDINANDI nomine, tum ex titulo *Electi Romanorum Imperatoris*, ac denique ex aquila bicipiti *Imperiali*. Quin & MAXIMILIANUS II. anno 1565. eadem prorsus adversa parte, quam num. præcedenti recensuimus, usus erat, quod suo loco videbimus. Nimirum, ut Cl. HANTHALERUS (b) recte monuit, hic adversæ partis typus ob suam elegantiam conservatus, & subsequenter annis repetitus, diversisque posticis, atque adeo nummis etiam usua-

(a) Vid. P. I. pag. 30. num. xxv. — xxviii. & pag. 35. num. xxxiii. Tab. xii. & xiii.

## XX.

Typus adversæ partis cum præcedentibus fere convenit, nisi quod in voce CROAT. loco c. littera G. incisa, atque figura a chalcographo LUCKII pro more inversa fuerit. Abest denique a galea corona radiata, itemque scutum *Austriacum*, in præcedentibus anteriori equi stragulo impressum. Denique scutum posterius a duobus leonibus sustentatum, *Legionis*, *Castiliae*, *Burgundiae*, atque *Austriae* tesseras præfert, secus ac in prioribus factum est; quæ singula, an oscitantæ chalcographi *Luckiani* adscribenda sint? alii iudicent.

Epigraphe adversæ in hanc sententiam concepta est: AQUI- LA. ELECTA. IVSTA. (pro IVSTE) OMNIA. VINCIT. Aquila Imperii biceps coronata, utroque rostro nimbo cincto. In pectore cernitur imago hominis nudi, quasi Sanctissimi Salvatoris cruci affixi. In hoc scilicet pietas FERDINANDI omnem suam fiduciam collocabat.

De ætate porro huius posticæ idem sentiendum, quod de adversa nummi præcedentis monuimus; vetustiore nimirum esse adversa, eidem iuncta. Accedit, quod eadem figura recurat in nummo minoris moduli, signato anno Christi 1562. quod in subsequenter videbimus n. xxviii. Ex litteris inscriptionis initialibus observari præterea, si quis curiosus talium rerum sit, potest, quomodo

FER-

(b) Loc. cit. p. 25.



Tab. II. FERDINANDUS explicaverit tritum illud proavi sui FRIDERICI *Placidi* symbolum: A. E. I. O. V. quod tot Eruditorum exercuit iam ingenia; quorum sententiæ collectæ sunt ab HEINECCIO (a), TENZELIO (b), & LAMBECIO (c), qui demum veram ac genuinam eius interpretationem, ut iam monuimus (d), orbi erudito communicavit. Huius porro nummi archetypum, una cum altero simili vidisse se testatur Clar. KOEHLERUS (e), in iisque non sine ingenti admiratione aquilam bicipitem observasse. Sed detecta iam ex aliis nummis eius rei ratione, facile patet, FERDINANDUM eo symbolo ante non usum fuisse, quam dignitatem Imperatoriam adeptus fuisset. Eodem lemmate usus quoque est CAROLUS V. ut in priori huius nummothece volumine vidimus (f). LUCK. pag. 100.

XXI.

FERDINANDVS. D. ei G. ratia ROM. ANORVM BOHEMIÆ HVNGARIÆ. ET. cetera REX. MDXLVI. Protome Regis cataphracta, cum tessera ordinis aurei velleris, capite nudo ad lævam converso, cum promissa barba.

Postica titulos eius sic prosequitur: INFANS: HISPANIARVM. ARCHIDVX. AVSTRIÆ. Aquila Imperii simplex, scutum coronatum quadripartitum pectore gerens. In eo *Bohemice & Hungariae* symbola sunt repetita, quibus in medio imposita est

(a) Oper. de Sigill.  
(b) Colloq. menstr.  
(c) Diar. S. itineris Cell. p. 9. edit. FABRIC. adde KOEHLER. mox laudand. P. III. p. 169.

parmula, fascia *Austriæ* inscripta. FERDINANDUS I. IMP.

Numisma hoc durante bello, quod CAROLUS V. Imp. cum fratre FERDINANDO Rom. Rege contra *Schmalkaldici fœderis* socios suscepit, cusum fuisse, asserit LUCKIUS, quod suo loco relinquimus; nos in nummis CAROLI V. a num. XLIV. & sequentibus, iam plura, in memoriam factæ huius expeditionis, ectypa dedimus.

In area parmulae mediæ sinistra supplenda est tessera *Castiliae*, & in adversa effigies Regis a pictore LUCKII denuo inversa fuit; nam idem fere typus recurrit hic infra cum æra Christi MDLV. num. XXIII. *Id. p. 115.*

XXII.

FERDINANDVS. D. ei G. ratia ROMA. NORVM VNGARIE BOHEMIE ECZ. (et cetera) REX. Protome Regis palliati, & insigni ordinis aurei velleris conspicui, capite caliptra operto & dextrorsum converso: adiecta hinc inde in umbone æra Christi MDEXVII.

Postica hanc epigraphen Germanicam complectitur: WIER: KLAGENS: GOTT. id est: *lamentor apud Deum*, subintellige *funus uxoris*. In area coronata sigla A, id est ANNA. Additi numeri Romani MDXLVII. In imo calva ossi imposita.

Nummus hic exequialis signatus fuit ob obitum ANNÆ, Regis FERDINANDI dilectissimæ coniugis, quæ hoc ipso anno 1547.

(d) P. I. p. 9 & 84.  
(e) M. B. L. P. II. p. 8.  
(f) Tab. XXII. num. XXXIV. pag. 83.



FERDINANDUS  
I. IMP.

1547. die XXVII. Ian. diem extremum clausit. *Ex. M. D. a. ROSENTHAL, & M. Imp. ar. pond. semunc. 2. dr. fufus tamen, & ubi sciolus quidam numerum averfæ partis VII. in Arabicum 51. præter fidem commutasse videtur.*

## XXIII.

FERDINANDVS D. ei G. ratia ROMA. *norum* BOHEMINI. HVNGA. *ria* z. (*cetera*) REX. M. D. L. V. Protome Regis ut num. XXI. nisi quod hic dextrorsum respiciat.

Averfa titulos more solito sic continuat: INFANS. HISPANIAR. *um* ARCHIDVX. AVSTRIHI. Aquila Imperii biceps, scutum coronatum quadripartitum pectore gestans. In eo *Bohemia* & *Hungaria* symbola sunt repetita, quibus in medio imposita est parmula, *Austria* & *Castilia* tesseriis divisa. Epigraphe ita mendose a scalptore nummi, non a chalcographo est exarata. Pro *Bohemia*, scriptum *Bohemini*, (qui error hic infra in nummo Iconico num. XXXIX. denuo recurret) & loco *Austria*, legitur *Austrihi*.

Additæ notæ chronologicæ, annum 1555. indicant, quo FERDINANDUS in comitiis Augustanis unacum fratre præfens, *pacem Religionis*, quam vocant, constituit (a), qua occasione hunc nummum ob typi similitudinem, quam cum num. XVII. habet, prodiisse coniicimus. *M. D. B. de BERBERICH*.

## XXIV.

FERDINAND. us D. ei G. ratia

(a) Vid. STRUV. corp. hist. Germ. per. x. p. 1076.

RO. *manorum* HVNGA. *ria* BO. *he-* Tab. II.  
*mie* REX. z. (*et cetera*). Protome Regis cataphracti cum paludamento, & ordinis aurei velleris insigni, capite nudo ad lavam verso.

In averfa senex cum hispida & longa barba, nudus inter ulvas seu calamos recumbit, *Danubium* fluvium representans: dextra hydriæ, ex qua aqua profluit, imposita, sinistra gubernaculum navis erectum tenet, addita perigraphe: IN. SPEM. PRISCI. HONORIS. Veteres eundem fluvium sub senis iacentis schemate, & caput velo, seu vestis lacinia, in fornicis modum obtegentis, sinistroque cubito urnæ, dextra vero navigii proræ imposita exhibebant, ut videre est apud OISELIUM (b). Idem vero Auctor alium quoque eodem loco producit nummum, CONSTANTINI Magni, ubi idem fluvius huic nostro haud omnino ab simili forma pingitur, omisso tamen temone.

Similem fere nummum edidit LUCKIUS, statim adducendum, illumque FERDINANDI memoriæ dicatum fuisse memorat, ob *Transilvaniam* ab ISABELLA, seu ELISABETHA IOANNIS *de Zapolia* vidua, ex pacto circa annum 1558. receptam. Lemma vero averfæ in hunc modum exponit: quod uti TRAIANUS & HADRIANUS Imp. secundo flumine *Danubio* sæpe DACOS vicerunt: sic FERDINANDUM concepisse spem, fore: ut recepta *Transilvania* Hungariæ quo-

(b) Tab. XXIV. num. III. p. 107, & BEGERUM in Thef. Brandeb.